

parte Diocesis annuntiet Verbum Dei *Parochis impedi-
tis* aut *insufficientibus*, ut illud *per se* pro necessitate populi
annuntiet.

XI. Hinc cum Episcopus Miletenis providere voluit,
set, (ait Fagnanus loco citato *numer. 25.*) de concionato-
re in suburbio Victoriose subditis suis, & Officiales ip-
sius, consulto prius magno Magistro Petro de Monte; rel-
pondissent, electionem dicti Concionatoris *non spectare*
ad Episcopum, sed ad eos qui *elemosynam Concionato-
ribus ex bonis universitatis ministrant*, Episcopo super
hoc declarationem postulante, S. Congregatio censuit:
Electionem Concionatoris *ad Episcopum pertinere ex*
Decreto Concilii Cap. 4. Sess. 24.

Quin et si populus aut alius ex consuetudine *non im-
memoriali* eligeret concionatorem, qui certis diebus Ver-
bum Dei annuntiet, posset nihilominus Episcopus non
obstante hac consuetudine Concionatorem deputare, uti
factus resolvit S. Congregatio apud Fagnanum *numer. 27.
& 31.*

XII. Sed si ex consuetudine *immemoriali* ad populum,
Capitulum, Parochum aliove hujusmodi electio sive de-
signatio spectet, ea servanda erit, nec ad Episcopum eo casu
deputatio Concionatoris in Ecclesia non Cathedrali specta-
bit: quod inquit Fagnanus *nu. 28.* Concilium Trid. *Sess. 24.
ca. 4. De Reformat.* non sustulit consuetudinem *immemo-
rialem* secundum quam facultas nominandi Concionato-
rem in Ecclesiis *non Cathedralibus* alii, quam Episcopo
competeret, ut sapius fuit resolutum.

Refert quoque Carolus Fevret in tractatu suo *De ab-
usu lib. 3. cap. 4. §. 22.* esse plura Regionum Tribunalium
arresta, quibus declaratum fuit, liberum esse Episcopis
mittere Concionatores ad concionandum per Adventum
& Quadragesimam in Ecclesiis suarum respectivè Dioc-
cesium, quibus locorum Incolæ obligabuntur dare hospiti-
um & victum.

XIII. Et in specie, cum circa an. 1655. Episcopus Augu-
stodunensis misisset ad quamdam suæ Diocesis civitatem
Concionatorem ex Minorum Ordine ad concionandum
per Adventum: ipseque civitatis Magistratus ipsi hospitium
& alimenta recuset; Episcopus junctis sibi commissariis
Cleri Gallicani recurret ad Concilium privatum Regiam:
ubi dictum fuit, ut dicti Magistratus & Syndicus Cleri
Gallicani contestarentur; ac interim per provisionem con-
formiter ad Arresta die 30. Martii 1635. & 26. Augusti 1639.
Concionatores qui mitterentur ad concionandum in dicta
civitate consuetum hospitium & victum acciperent. Cum-
que Episcopus ulterius pro definitivâ urgeret; & ipse Magi-
stratus Civitatis affirmaret, se esse in possessione *immemo-
riali* presentandi Concionatores pro Adventu & Quadra-
gesimâ ipsi Episcopo: die 17. Decembris ejusdem anni 1655.
decretum fuit, ut Magistratus & Incolæ illius civitatis pro-
barent *intra tres menses*, se esse in possessione *immemoriali*
nominandi & presentandi dictos Concionatores Episcopo;
salvâ Episcopo probatione contrariâ; interim per provisio-
nem & sine præjudicio juris alterutrius in principali, decla-
ravit Episcopum esse manutenendum & defendendum in
iure eligendi & mittendi Concionatores, quibus prædicti
Incolæ tenebantur hospitium & victum præbere; nec non
permittere solitam quaestuationem. Quæ sententia provisio-
nalis postmodum in definitivam transtulit; uti latius in Actis
Cleri Gallicani refertur *tom. 1. tit. 2. cap. 8.*

Hic duo, quæ supra diximus, Regio Arestro decisa vide-
mus. Primum, Episcopum de jure habere fundatam inten-
tionem eligendi ac mittendi Concionatores per totam suam
Dioccesim, qui Parochis legitime impeditis, aut insufficienti-
bus, Verbum Dei annuntiet.

Secundum, quod consuetudo seu possessio immemoria-
lis possit jus Concionatores eligendi & nominandi trans-
ferre non tantum in Capitula, Parochos aliove Ecclesiasti-
cos, sed etiam in laicos; quod aperte supponit sententia pro-
visionalis 17. Decembris an. 1655. prolata; atque in termi-

nis pro Aeditis judicatum refert De Fresne in libro cui ti-
tulus *Journal des Audiances tom. 1. lib. 1. cap. 18.* & probat
notoria Belgii praxis, quæ electionem & nominationem
Concionatoris passim ad Parochos, Capitula, Aedituos, alio-
ve, pro varia locorum consuetudine transtulit.

XIV. Hæc porro Concionatoris electio seu nominatio,
est instar juris Patronatus ad Beneficia Curata; quod & lai-
cis competere potest. Unde fieri presentatus à Patrono si-
ve Ecclesiastico sive laico se functionibus Pastoralibus im-
miscere nequit, nisi prius ab Episcopo curam Animarum ac-
ceperit; ita & nominatus seu electus in Concionatorem, de-
bet ab Episcopo concionandi licentiam obtinuisse; neque in
vim hujusmodi consuetudinis immemorialis aliud compe-
tere potest sive Ecclesiasticis sive laicis, quam eligere Con-
cionatorem unum ex approbatis ab Episcopo; vel sub illa
clausula, modo licentiam obtineat.

Certum enim est, nec quisquam in dubium vocat, nullum
Presbyterum aut Clericum sæcularem, nisi Beneficium cura-
tum habeat, sine approbatione & expressâ licentia *Ordi-
narii loci publicè* concionari posse.

XV. Quoad Regulares, ob varia quæ prætendebant sibi
à Summis Pontificibus indulta in hac materia privilegia,
non exigua fuit inter Patres Concilii Tridentini contesta-
tio; de qua videri potest ejusdem Concilii historia à Palavi-
cino conscripta *lib. 7. cap. 4.*

XVI. Post hanc concertationem tandem *Sess. 5. cap. 2.
De Reformat.* quoad licentiam ab Ordinario obtinendam,
distinctio aliqua facta est inter facultatem concionandi in
Ecclesiis *suorum Ordinum* & Ecclesiis *non suorum Ordi-
num*, ut scilicet, Regulares cujuscumque Ordinis, nisi à Su-
perioribus suis de vitâ, moribus & scientia examinati &
approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Ecclesiis
suorum Ordinum, prædicare non possint: cum qua licen-
tia *personaliter* se coram Episcopis presentare, & ab eis
benedictionem petere teneantur, antequam prædicare in-
cipiant. In Ecclesiis verò quæ *suorum Ordinum non sunt*,
ultra licentiam suorum Superiorum, etiam Episcopi li-
centiam habere teneantur; sine qua in ipsis Ecclesiis *non*
suorum Ordinum nullo modo prædicare possint. Ipsam
autem licentiam Episcopi gratis concedant.

Si verò, (pergit Synodus) quod absit, Prædicator er-
rores aut scandala disseminaverit in populum, etiam si in
monasterio sui vel alterius Ordinis prædicet; Episcopus ei
prædicationem interdicit. Quod si hæreses prædicaverit;
contra eum, secundum juris dispositionem, aut loci consue-
tudinem procedat; etiam si prædicator ipse generali vel
speciali privilegio exemptum se esse prætenderet. Quo
casu Episcopus auctoritate Apostolica, & tamquam Sedis
Apostolicæ delegatus procedat.

XVII. Hoc Decretum, in quantum Regularibus per-
mittit prædicare in Ecclesiis *suorum Ordinum* ex sola Su-
periorum licentia ipsi Episcopo simpliciter presentanda,
& *benedictione* ab ipsis petendâ; & insuper Episcopis præ-
dicationem Regularibus interdicens potestatem demum
facit, dum Prædicator errores aut scandala in populum
disseminaverit, nonnullis à Patribus Tridentinis; atque
præ cæteris Brachio Martello Episcopo Felusano mirè
displicuit; ajebatque publicè in cœtu Patrum super discus-
sione hujus decreti instituto 15. Aprilis an. 1546. „ Acer-
bè se angit, quod liberum esset Regularibus, neque *missis*,
neque *vocatis*, suis in Cœnobiis per Episcoporum Dioc-
ceses Concionari. Quod, exclamavit, *quidnam est aliud,*
à Patres, nisi permittere, ne lupi non per ostium, sed
aliunde ingressi ovile perturbent? Deinde eisdem per
Deum ac Superos obsecrare non destitit, ne id paterentur:
si abnuerent, se pro sua virili parte causam sustentaturum,
provocantem ad cœlestem Tribunal, apud quod contestaba-
tur, se infontem in eo esse, & super illos populorum
crimen ac sanguinem abiturum. Hæc Palavicinus loco
citato *nu. 3.*

Deinde in generali Congregatione habita 10. Maji rut-
sus

sus prolixâ oratione coram Patribus, idem vehementissimè
urgere perrexit, atque ipsos Regulares de privilegiis suis
contra auctoritatem Episcoporum gloriantes alloquens, ait:
„ Nolite nos ita tardo ingenio existimare, ut ista sophisma-
ta sive paralogismata non intelligamus, putemusque vos
„ *vestris in Monasteriis non populo nostro, sed Fratribus*
vestris tantum, aut tectis & parietibus esse concionatu-
ros. Nolite adeo inhumaniter, ne dicam irreverenter cum
sanctissimis Episcopis agere, ut *nostras plebes docere sine*
permissu & consilio nostro cogitetis.

His contendebat Antistes ille, nec in Monasteriis *suorum*
Ordinum permittendum esse Regularibus *sine licentia E-
piscoporum* concionari: cum non minus in Ecclesiis *suorum*
Ordinum, quam non suorum Ordinum populum E-
piscoporum Curæ Commissum doceant.

Post hæc profequitur Felusanus: „ Additum est nescio
quid de coëccendis his, qui in concionando à fide aberr-
averint. Hic ergo jam illud quod notissimum est, non dis-
putabo, quam non sit facile errantem aliquem & perni-
ciosa docentem redarguere, propterea, quod non solum
habent isti tot latebras tantosque recessus, ut etiam depre-
hensi facile elabuntur: sed veniunt ita sæpe ad fallendum
instructi atque artificiosâ concionandi rationem, ut vel eru-
ditissimas quasque aures atque attentissimas non magno
labore fallere, atque in dicendo præterire possint. Sed quæ-
ro, utrum tandem ad ulciscendo oves nostras, an ad custo-
diendas vocati sumus. *Pascite*, nobis dictum est, *gregem*
& custodite, non, vindicete. Mihi enim vindicta, & ego
retribuam, atque *occisarum* ovium à nobis, non occiden-
tium luporum sanguis requiratur.

Hæc & plura Felusanus Antistes in oratione coram Pa-
tribus Tridentinis pronuntiavit, & inserta *tom. 14. Concil.
Col. 1636.* sub hoc titulo: *Brachii Martelli Florentini E-
piscopi Felusani sententia, quâ declarat, Regulares sine li-
centia Episcoporum nec in Monasteriis, nec extra Mona-
stera debere fungi officio prædicandi.*

XVIII. Et licet Patribus Tridentinis tunc visum haud
fuerit, postulatis hujus Episcopi per omnia consentire; eam-
que distinctionem inter facultatem concionandi in Ecclesiis
suorum Ordinum, & *non suorum Ordinum* omnino tolle-
re; his tamen aut similibus rationibus indubie effectum est,
ut *Sess. 24. cap. 4. De Reformat.* habita 11. Novemb. 1563.
eum jam numerus Episcoporum esset frequentior, & tempo-
rum conditio convenientior decretum sit, ut „ Nullus Sæ-
cularis sive Regularis, etiam in Ecclesiis *suorum Ordi-
num contradicente* Episcopo, prædicare præsumat. „
Quo Decreto, si cum Decreto priori combinetur, omne in
effectum, quod Felusanus optabat, haberi poterit.

Cum enim ex Decreto *Sess. 5. cap. 2. De Reformat.* Re-
gulares priusquam concionari incipiant, etiam in Ecclesiis
suorum Ordinum, ab Episcopis benedictionem petere de-
beant; & vi posterioris Decreti non possint in Ecclesiis *suorum*
Ordinum contradicente Episcopo prædicare, nonne
in potestate Episcoporum est, efficere, ut nemo Regulari-
um, etiam in Ecclesiis *suorum Ordinum* concionetur,
de cujus vita, moribus, doctrina & sufficientia non sint ple-
nè instructi; & quem ad id rauneris saltem tacite non ap-
probaverint?

XIX. Id sanè obtinebunt Episcopi, si ad exemplum
S. Caroli statuunt, „ Ne patiatur Parochus, cujusvis Or-
dinis Regularis in *Ordinis sui Ecclesiis*, intra fines Paro-
chie suæ sitis, concionem habere, nisi *ex scripto testi-
monio* perspexerit, eos muneris hujusmodi in illis Ec-
clesiis obeundi causâ, *se ad Episcopum* cum concionandi
facultate, quam à Superioribus suis ipsi obtinuerint,
contulisse, & benedictionem, ut Tridentino Concilio cau-
tum est, ab eodem petisse. „ In Concilio Mediolan. III.
cap. 3.

Hoc quippe pacto fiet quod nullus Regularis etiam in
Ecclesiis *suorum Ordinum* concionetur, de quo non con-
stat, eum se presentasse Episcopo, & benedictionem ab eo

dem petisse; a quoque in Episcopi potestate fuisse, ei quoad
conciones habendas contradicere, si de ejus moribus &
doctrina non satis sit instructus; quâ contradictione vi Con-
cilii Tridentini fit, ut nec in *Ecclesiis suorum Ordinum*
concionari queat, adeoque si Episcopus benedictionem im-
periat, testimoniumque illius annuat, neque contradicat,
an non sit aperte censetur illum Regularem, saltem *taci-
tè*, ad concionandum approbare; & licentiam concedere?
præsertim quia simplex Episcopi contradictio, nullâ expres-
sâ contradictionis causâ, tam in sæcularibus, quam Regulari-
bus Beneficium curatum non habentibus sufficit eo quod
horum concionandi potestas tantum sit *vicaria* seu *delega-
ta*, quam ad nutum revocari posse apud omnes in confessio-
ne est. Unde sine ulla hæsitacione ait Zypæus in jure novo *tit. 1.
nu. 10.* „ Episcopo contradicente etiam *non dictâ causâ*
„ (quamvis sine causa id facere non debeat) nemo præcica-
te potest, *quantumvis exemptus, quovis privilegio &*
„ *appellatione non obtinente.*

XX. Nullatenus proinde à mente Synodi Tridentinæ
aberrasse videntur Patres Synodi Bituricensis anni 1584.
tit. 3. can. 4. decernendo, ut „ Regulares cujuscumque sint
„ Ordinis prædicare non præsumant, etiam in Ecclesiis *suorum*
„ *Ordinum*, nisi prius examinati & approbati à suo
„ Superiore, & *impetratâ* ab Episcopo aut ejus Vicario be-
„ nedictione & *licentiâ*. „ Tacitâ minime *licentiâ*; quæ
„ data intelligitur, dum benedictione imperita, non contra-
dicendo, ad concionandam dimittitur.

XXI. Ulterius cum facultas concionandi seu Regu-
laribus seu sæcularibus non habentibus Beneficium cura-
tum concessâ dumtaxat sit delegata & vicaria, ea ad libitum
revocari, restringi & modificari, ad instar jurisdictionis dele-
gatæ, potest.

XXII. Hac de causa præcipiunt passim Synodi, & fre-
quenter Episcoporum Decretis renovatum fuit, ut Pastores
neminem in Ecclesiis suis concionari permittant, nisi de *li-
centia Ordinarii in scriptis* prædocuerint. Synod. Mechl.
P. II. *tit. 11. cap. 1.* Gand. *tit. 10. cap. 1.* Namurcensis
an. 1659. *tit. 10. cap. 1. &c.*

XXIII. Porro licet etiam ad Episcopum sive Ordi-
narium spectet principaliter munus prædicandi, populum-
que instruendi; atque inferiores quodammodo tantum
vices ejus suppleant, eique adjuvatores sint, & ab ipso missio-
nem ac licentiam accipiant; ipsius quoque est, invigilare
atque intendere, num Officio in nullo defuit; sed diligenter
instructioni populi incumbant, eique sincerum & conveni-
ens spirituali Verbi Divini pabulum porrigant; eosque si
in eo delinquant, corrigere & punire.

Quapropter cum Senatus Burdigalensis interdixisset E-
piscopo Bagienli, inquirere in doctrinam inter concionan-
dum propolitam, causâ ad Concilium privatum Regium
devoluta, Rex, callato dicto Burdigalensis Senatûs decreto,
inhibuit tam prædicto Senatui Burdigalenti, quam aliis Se-
natibus & Judicibus laicis, ullo titulo aut pretextu esse im-
pedimento Prælati in capienda informatione super *doctri-
na* in concionibus sive à Sæcularibus sive Regularibus pro-
posita, ipsam religionem concernente.

Similiter inhibito Regia facta fuit an. 1657. Parlamento
Parisiensi, & cæteris omnibus, cognoscendi de materia do-
ctrinæ, missionibus Concionatorum, approbationibus Con-
tellationum; & aliis materiis merè spiritualibus, & per sen-
tentiam Concilii Sanctioris rufas confirmatum fuit, Re-
feruntur hæc arresta & decreta in Actis Cleri Gall. *Tom. 1.
tit. 2. cap. 20. 22. 23. & 24.*

XXIV. Et inter propositiones quas Anno 1656.
10. Archiepiscopi cum 73. Episcopis plurimisque Ab-
batibus aliisque Prælati Conventionum generalium Cleri
Gallicani constituentes, tamquam temerarias, scan-
dalosâs, fallâs, erroneas, in hæresim & schismâ indu-
centes, Sedi Apostolicæ, Concilii tum OEcumenicis,
tum Provincialibus, & Præcipuè Sacro Tridentino, &
Ordini Episcoporum Apostolico contrariâs & injurio-
sas,

fas, Ecclesiastica Hierarchia destructivas respectivè dam-
narum, erat hæc: „Regulares Mendicantes petere possunt
„licet à Judicibus secularibus, ut injungant Episcopis, qua-
„tenus ipsi mandata concedant, ad prædicandum in Ad-
„ventu & Quadragesima: quod si renuant facere Episcopi,
„Decretum Judicum secularium tantumdem valet, ac si
„permissio dictis Religiosis concessa fuisset.

Quin tamen interdum Magistratus Regii procedere at-
que informationes sumere possint contra Concionatores
feditiosa aut scandalosa in populum spargentes, quæ magis
ad emotionem & seditionem, quam ad pietatem & debitam
erga Superiores & Magistratus observantiam plebem exci-
tare possent, non est dubium.

Unde cum quidam Parochus in urbe Parisiensi aliqua
admodum feditiosa; quæ populum contra Magistratus in-
citare & commovere nata erant, in concione dixisset, per sen-
tentiam Senatus Regii decreta fuit dicta Parochi incarceratione,
quoad usque aliter per Curiam esset statutum 11. Junii
1590. Rursus 8. Martii 1591. injunctum fuit per Senatum
Regium ad instantiam Procuratoris Regii omnibus Con-
cionatoribus, ne in suis concionibus utantur discursibus fe-
ditiosis, qui populum ad emotionem excitare possent, sub
penâ quod adversus contravenientes pro casu exigentia
procedetur; injungens unâ locorum Officialibus ut manum
adhibeant, atque in contravenientes secundum rigorem or-
dinationum procedant. Quæ omnia aliæque plura latius refe-
runtur in probationibus libertatum Ecclesiæ Gallicanæ c. 29.

CAPUT IX.

Episcoporum est pro populo orare; populum ad
orationem excitare; preces publicas indicere & dirigere,
& abusus, si qui irreperint, tollere.

- 1 Instantiam orationis præcipuum esse suum officium, crediderunt Apostoli: & quare?
- 2 Episcopi certam horam orationi destinare debent.
- 3 Episcopo præcipue incumbit sacrificii incrementi oblatio.
- 4 Quandoam speculatur Episcopus Missæ Sacrificium offerre debeat.
- 5 Episcopus populum ad orandum excitare, modumque orandi docere debet.
- 6 Libellos precum examinare Episcopo incumbit.
- 7 Orationes publicas ex causa publica & communi, Episcopi est indicere, & dirigere.
- 8 Episcopi est præscribere orationem Quadragesima horarum, & quomodo hanc instituerit Sanctus Carolus?
- 9 Non sufficit in hac oratione publicè exponi Venerabile; sed præcipue incitandus populus ad solidam devotionem.
- 10 Preces publicas indicere ad Episcopum spectare sæpius declararunt Parlamenta Regia.
- 11 Precibus publicis annumerantur supplicationes seu processiones; hæcque indicere pertinet ad Episcopum.
- 12 Exemptio non impedit hac in parte auctoritatem Episcopi.
- 13 Episcopi est præscribere quomodo processiones sint habende; & qua in iis cavenda aut observanda.
- 14 An Episcopus possit præscribere, ut in Processionibus Venerabile non circumferatur cum Imaginibus aut Reliquiis Sanctorum?
- 15 Episcopi est componere controversias de præcedentia que inter personas Ecclesiasticas in processibus oriuntur.
- 16 Hæc controversia summariè absolvi debent.
- 17 Interdum super his controversiis ad Tribunalia Regia recurritur.
- 18 Clerici tam Regulares quam seculares ad publicas Processiones vocati accedere debent; & etiam compelli possunt.
- 19 Etiam exempti accedere tenentur.
- 20 Consuetudo nequidem immemoralis excimere potest.

Capitula Cathedralia ab accessu ad publicas suppli-
cationes.

- 21 Episcopus mutare aut etiam abrogare potest antiquas supplicationes.
- 22 Precibus publicis, quarum directio est apud Episcopum, annumerandum Officium Canonicum.
- 23 Episcopi est, Breviaria, Missalia, aliosque libros ad Divinum Officium pertinentes revidere, & emendare.
- 24 Correctio Breviarii Aurelianensis nuper ab Episcopo facta; & quæ hic observata.
- 25 Ubi est receptus ritus Romanus observanda Bulla Pii V. & filius Curie Romana.
- 26 Episcopus abusus circa Missæ Sacrificium corrigere debet.



Postoli convocantes multitudinem Discipu-
lorum dixerunt: Non est æquum nos dere-
linquere Verbum Dei; & ministrare men-
sis. Considerate ergo, Fratres, viros ex vo-
bis boni testimonii septem, plenos Spiritu
Sancto & sapientiâ, quos constituamus super hoc opus. Nas
verò ORATIONI & ministerio Verbi INSTANTES erunt. c. 6.

Ministerio ergo Verbi junxerunt Apostoli instantiam o-
rationis; scientes, quam esset necessarium hanc illi jungere, si
prædicationis fructum in populo videre vellent; juxta illud
quod postmodum dixit Apostolus: Neque qui plantat est
aliquid neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.

Hoc verò incrementum divinum quis tuis precibus præ-
cipue in populum attrahet, nisi is qui ex hominibus assump-
tus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum,
ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis; id est, omnis Pon-
tifex sive Episcopus?

Hinc illud Apostoli ad Colossenses I. v. 9. Non cessamus
pro vobis ORANTES & POSTULANTES ut impleamini agni-
tione voluntatis ejus in omni sapientiâ & intellectu spiritali.

II. Cum ergo, in Oratione Sancti & meditationibus
eos (Episcopos) frequentes esse oporteat (verba sunt S.
Caroli in Concilio Mediolanensi IV. parte 3. cap. 1.) cer-
tam sibi horam quotidie sumant, quam in contemplatio-
nem divinarum studio, exercitationeque attentissimis reli-
giosa mentis cogitationibus ponant. Qua oratione non
sibi ipsi tantum Divini luminis illustrationem deprecant,
sed etiam pro fidelibus suæ curæ commissis humiles pre-
ces fundant; eorum peccata deplorando, pioque gemitu
& religiosa supplicatione Deum orando, ut disjectis pec-
catorum nubibus, pluviam, & rorem suæ divinæ gra-
tiæ ac misericordię effundat in hereditatem & agrum Ec-
clesiæ suæ.

Et Patres Concilii Tholofani an. 1590. „Orationibus &
„meditationibus singulo quoque die, certis & itaque horis
„incumbant, quibus in celestium rerum contemplatione
„versantes, divinam sibi, suisque gregibus gratiam summâ
„& veneratione & contritione deprecabuntur. „ parte I.
tit. De Episcopis.

Id ipsum & Concilium Narbonense an. 1609. Episcopis ar-
dentissimè inculcat, ut quod, ait, in Fidelibus sibi commissis
„contractum, divinâ bonitate alligetur, quod languidum est fa-
„netur, perditum reparetur, & quod bonum est conservetur.

III. Porro excellentior & efficacior species orationis
cum sit Missæ Sacrificium, hujus quoque celebratio præci-
pue ad Episcopum spectat. Nec primis Ecclesiæ sæculis Pres-
byteris oblatio hujus Sacrificii concedebatur, nisi absente
aut impedito Episcopo; imò tam apparuisset insolitum, quòd
Episcopus diebus Dominicis festisque conventui Fidelium
non præfessisset, verbum Dei non explanasset aut Sacrifi-
cium non obtulisset, quam si Judex diebus juri dicendo de-
signatis pro tribunali non sedisset.

Quare S. Gregorius volens exprimere magnitudinem do-
lorum quos ex podagra patiebatur, scribit, „se tantis poda-
„græ doloribus affligi, ut vix in diebus Festis usque ad ho-
„rarum trium spatium surgere valeat, Missarumque Sa-
„lemnium celebrare. „ Lib. 8. epist. 35.

Non immerito proinde dixit Synodus P. I. Mechlini-
ensis &

„Inter ceteras Episcoporum functiones non infi-
„mum locum habet oratio pro populo & communis Sa-
„crificii oblatio; de quibus si bonum habeant testimonium,
„non parum inde eius auctoritatis accedit. „ Tit. de Episco-
„pis cap. 3.

IV. Rectè ergo Episcopos monuit S. Carolus in suo Con-
cilio Mediol. IV. loco citato, „Missæ Sacrificium frequen-
„tius celebrare studeant. Dominicis verò festisque diebus,
„ne id præstare omittant. Hoc verò ipsum facere curent
„crebrius in Ecclesiis, quam in privatis oratoriis.

„Præterea Missæ Sacrificium facere studeant illis diebus,
„quibus Ecclesiastica Beneficia conferent; & generalia Cle-
„ricorum, qui iniciandi sunt, & Confessariorum examina
„habebunt, ceteraque denique graviore consultatione &
„deliberatione inibunt.

V. Nec tantum ipse pro se populoque suo multum orare
debet, sed insuper populum ad orandum incitare, ipsumque
orandi modum docere; nec non preces tum privatas tum
publicas præscribere ac dirigere.

Quantâ curâ & sollicitudine S. Carolus populum sibi
commissum ad orationis exercitium quotidianum excita-
verit, paternoque affectu monuerit, ipsumque orandi mo-
dum docuerit; ejus Litteræ Pastorales ea de re ad universos
suæ Diocesis Fideles missæ ostendunt, quarum compendium
suprà cap. 7. retulimus.

VI. Quia verò populus ad evitandas distractiones, & ad
excitanda in se pia desideria & affectum inflammandum uti
solet certis libellis devotionis aut formulis precationum, E-
piscoporum atque Pastorum est, invigilare in hujusmodi li-
bellos & precationum formulas, num ad solidam devotio-
nem excitandam & fovendam sint convenientes; utrum ni-
hil sanæ doctrinæ aut solidæ pietati contrarium contineant;
utrum nihil superstitionis, aut ad eam inclinans sub specie
pietatis misceatur.

„Libris, quibus preces variæ continentur (ait Synodus
„Cameracensis P. I. tit. 1. cap. 3.) plerumque falsis, supersti-
„tiosisque titulis asperguntur: ea omnia purgari diligen-
„ter, & ad proportionem fidei reduci Episcoporum seduli-
„tate præcipit Sancta Synodus.

VII. Ad Episcopum quoque spectat, preces publicas
& communes instituire, ipsique populo præscribere, mo-
dumque in illis servandum constituere.

Hujusmodi preces publicas & communes, non tan-
tum pro calamitatibus & periculis temporalibus Reipub-
licæ aut populo imminutibus, sed vel præcipue ut spi-
ritualia animarum pericula & calamitates avertantur,
instituire, exemplo S. Caroli, Episcopis incumbit; vel
dum de aliquo negotio, à quo multarum animarum salus
dependet.

VIII. Et quidem de Oratione 40. horarum, quæ una
eaque hodie vulgatissima Orationis publicæ species est, dicit
S. Carolus in concilio suo Mediol. II. tit. 1. dec. 16. „Ora-
„tio quæ quadragesima horarum dicitur, ne ulla in Eccle-
„siâ extra ordinem constituatur sine Episcopi concessu. It-
„que eam ita sanè geri curet, ut pui illius instituti ratio
„exigit.

Ut autem hoc assequeretur, plura postmodum statuit in
suo concilio Mediol. IV. parte 2. tit. Quæ ad Sanctissi-
mum Eucharistia Sacramentum pertinent; atque inter
alia; In iis solum Ecclesiis five secularibus, five Regularibus
„fiat celebretur, in quibus Sanctissimum Sacramen-
„tum aservatur: nec verò in iis omnibus, sed in illis tan-
„tummodò, quas Episcopus statuerit. Fiat autem in con-
„spectu Sanctissimi Sacramenti: quod è tabernaculo exi-
„positum, in majori altovè, si Episcopus ita censuerit, altari
„propalam collocetur.

Posthæc vult, ut non minus quam sex cerei & tres
lampades ante Venerabile luceant; nec plures quam decem
cerei, aut 12. vel 13. lampades, nisi Episcopus ex causa
majorum luminum numerum permittat. Deinde orationis
initio cum Sanctissimum Sacramentum palam proponen-

Van Espen Jur. Eccl. P. I.

dum est, Clerus omnis ipsius Ecclesiæ superpelliceo in-
dutus Sacerdoti Venerabile exponenti assistat; & si paucio-
res sint quam sex in illa Ecclesia, aliunde advocentur; ut ne
eo numero pauciores sint; hique cum luminibus accensis;
tum homines itidem Parochiæ in cujus Ecclesia finibusve
oratio exponitur, præsertim Sodalitati Sanctissimi Sacra-
menti adscripti.

Dum illud in Altari propositum est; interdum duo Cle-
rici superpelliceo induti, capite aperto ad Altare semper as-
sistant: quorum alter Diaconus saltem sit; noctu verò sal-
tem unus, si que in sacro Ordine constitutus.

„Ad excitandam populi in statâ hac oratione versantis
„pietatem, ait, hoc curetur, ut aliquando, quo præsertim
„tempore, quæve horâ frequens est Fidelium ad eam con-
„cursus, sermo, si que brevis, ad piæ meditationis studium
„inflammandum appositè habeatur.

Præterea vult ab Episcopo designari viros aliquos gra-
ves, pietatis spiritualisque vitæ amantes qui in sua quique re-
gione orationis hujus curam gerant, quo tempore illa cele-
bratur. Qui inter cetera curabunt, ut oratio hæc per 40. ho-
ras continenter fiat; quem in finem Parochiam, in cuius fi-
nibus oratio habetur, in certas classes partientur, singulisque
suas horas assignabunt, ut tamen famine noctu ad Eccle-
siam non accedant: Et si noctu orantes deessent, Venerabile
in tabernaculo reponatur.

IX. Hic in primis intelligant Episcopi & Pastores,
quibus instituenti ac dirigendi hujusmodi publicas pre-
ces officium incumbit, non satis fuisse S. Carolo, ut ho-
die à nonnullis apprehendi videtur, ut Venerabile Sacra-
mentum publicè in Ecclesia exponatur; sed præcipue
curæ fuisse, ut populus ad solidam ac sinceram devotio-
nem excitetur; atque preces illæ vero devotionis affectu a-
gantur.

Insuper videmus, non dubitasse S. Carolum ceterosque
qui ipsi in celebratione concilii Provincialis assisterunt, quin
publicæ hujus orationis institutio & directio ad Episcopos
spectaret.

Nec mirum, cum enim similes publicæ orationes po-
pulum præcipue concernant; atque ad populi pietatem &
devotionem excitandam instituantur, quis naturalior ear-
um director esse potest, quam Episcopus; cui totius populi
cura & directio in his, quæ ad pietatem & religionem sunt,
incumbunt.

X. Unde cum Magistratus & intendentes cujusdam Ur-
bis suâ propria auctoritate ordinasset cantari solemmiter Te
Deum laudamus; ipsosque Ecclesiasticos ad id coëgissent,
priusquam intervenisset Decretum Episcopi Dioccesani;
facta insuper inhibitione recipiendi Episcopale mandatum si
quod daretur: Re delatâ per Episcopum ad Concilium san-
ctius, per Arrestum concilii 14. Decembris 1638. cassata fuit
dicti Magistratus ordinatio; ipsique Ecclesiastici exonerati à
multâ per Magistratum comminatâ; cum inhibitione factâ
Magistratui, imposterum quidquam statuendi quod Eccle-
siam concernit; aut turbaret Episcopum in functionibus suæ
curæ. Refertur in Actis cleri Gallicani tom. 2. tit. 2. cap. 5.
n. 6. Et tit. 7. refertur Arrestum ejusdem concilii Regii, quo
20. Novemb. 1643. declaratum fuit, Capitulum Burdigalen-
se non debere recipere mandata pro publica gratiarum ac-
tione, aliisque publicis precibus, quas Rex judicasset esse fa-
ciendas in Ecclesia Burdigalensi, ab alio, quam Archiepisco-
po, ejusque Vicario generali in ejus absentia.

XI. Et num. 8. asseritur, per Senatum Parisiensem 8.
Januarii 1647. declaratum, Processiones generales, Te Deum,
aliasque publicas Preces, quæ fiunt ad instantiam Regis, in-
dicendas esse per Episcopum ejusve Vicarium, de quo Ca-
pitulum gratiosè monebitur, Particulares verò preces ex
communi Episcopi & Capituli resolutione.

Hic precibus publicis, quarum indictio & directio
Episcopo adjudicatur, annumerantur Processiones; ut
pote quæ & ad populi pietatem promovendam institu-
untur.

L

His